

« l'Église de France sur la liturgie universelle. Elle servit à compléter, à perfectionner, à enrichir le répertoire grégorien<sup>1</sup>. »

Inde concludas Ecclesias Galliarum, imprimis antiquiores, puta Lugdunensem et Parisiensem, non fuisse adstrictas vi Constitutionum sancti Pii V ad utendum Breviario et Missali Romano, cum, nedum a ducentis annis, quin etiam a primævis sæculis, suum proprium usum habuerint. Et hæc sunt motiva quibus capitulum Ecclesiæ Parisiensis inductum fuit ad retinendam liturgiam Parisiensem, quando Episcopus Petrus de Gondy, anno scilicet 1583, illius consilium super negotio exquisivit : « In primis, inquit, attenta antiquitate Breviarii et « Missalis Parisiensis, ex decretali novissimi usus Romani per- « missa, deinde cæremoniis ac ritu in quibus Ecclesia Parisien- « sis præ cæteris Galliæ, atque adeo totius fere orbis christiani, « Ecclesiis hucusque claruit, et ab omnibus videntibus et au- « dientibus, in summa admiratione, non sine gloria Dei, ha- « betur. »

ARTICULUS II. — DE JURE ORDINANDI ET IMMUTANDI RITUM  
OFFICII DIVINI.

553. — *Ad quem pertineat jus statuendi de forma servanda in officio divino?*

I. Jus statuendi de forma divini officii, indicendo nimirum preces, cæremonias, ac ritus cultus publici, soli Ecclesiæ competit. Ordinatio divini cultus est causa ordinis supernaturalis, utpote quæ complectitur symbola fidei catholice, preces, cohortationes, aliaque ad exercitium virtutis religionis alimenta. Si quandoque principes christiani aliqua præscriperint aut immutaverint in iis quæ sunt officii divini, non exinde concludendum

<sup>1</sup> Boquillot, *Traité historique de la liturgie sacrée*, liv. I, chap. x. — Granelas, *Commentaire sur le bréviaire romain*, tome I. — D. Guéranger, *Institutions liturgiques*, tom. I, ch. xi.

aliquid juris illis competere in hac materia, vi potestatis sæcularis; sed dicendum est alios id egisse ex assensu saltem tacito Ecclesiæ, uti haud semel fecerunt piissimi reges quorum piam sollicitudinem S. Sedes laudibus extulit; alios autem usurpasse, præter fas, jura spiritualia, quod sæpius contigit sæculis proxime elapsis, in Germania, in Gallia, in Italia, cæterisque regionibus.

Sectæ Protestantium merito arguuntur erroris, et violati juris divini, ex eo quod veritæ non sint submittere sacram liturgiam imperio principum sæcularium.

554. — Potestas igitur officia divina ordinandi exclusive competit Ecclesiæ, scilicet Rom. Pontifici et Concilio generali. De Episcopis, an et ipsi in sua quisque diocesi valeant, cum debita subordinatione S. Pontifici, ordinare officium, quæstio sub duplici respectu considerari potest, juris scilicet divini et canonici.

I. Si juris divini rationem solummodo habeamus, abstrahendo a disciplina canonica, dicendum erit Episcopos habere potestatem propriam, tametsi summæ jurisdictioni Sedis Apostolicæ obnoxiam, ordinandi officium publicum in sua diocesi.

Episcopi sunt, divina ordinatione, doctores et pastores spirituales, quos Spiritus sanctus posuit pascere gregem Dei, et regere Ecclesiam: atqui dispositio divini officii ad illud pastorale ministerium suamet natura refertur... Præterea, per plura sæcula, singuli Episcopi, in sua quisque respective Ecclesia, jure potiti sunt preces, ritus cæremoniasque ordinandi, servata tamen lege hierarchiæ qua inferiores superioribus debitam obedientiam præstare tenentur; nihil reperitur in monumentis antiquitatis ex quo deducere debeamus id ipsis jure delegato concessum fuisse; ergo dicendum videtur fuisse potestatem jurisdictioni episcopali propriam. In eam sententiam convenerunt veteres doctores, qui data occasione disseruerunt de jure liturgico; unde P. Zacharia, pro indubitata assertionem, hanc propositionem emisit: « Ab Apostolis in Episcopos jus liturgicum

« manavit : concilia tamen paulatim, vel Patriarchæ illud sibi « vindicaverunt. » (*Bibliotheca ritualis*, dissert. I, cap. III.)

Si quid obstaret quominus Episcopi possent, jure divino, ordinare ritus precesque sacræ liturgiæ pro sua diocesi, esset, vel necessitas auctoritatis infallibilis ad illam ordinationem rite peragendam, vel necessitas unitatis catholicæ in cultu publico, quæ unitas non subsisteret, admissis semel quod singuli id possint, prout expedire judicaverint : atqui neutrum obstat.

1<sup>o</sup> Non requiritur, ex natura rerum, auctoritas infallibilis ad determinandum ritus et preces, quibus constat divinum officium.

Fatemur quidem, quod omnibus catholicis certissimum est, liturgiam universalem nihil continere posse quod fidem catholicam aut mores offendant; quod enim est contra fidem aut mores, sancta Ecclesia, ait S. Augustinus, nec tacet, nec facit, nec probat. Fatemur insuper, in quo omnes consentiunt, certam probationem fidei erui e sacra liturgia, quando universim per Ecclesiam servatur et constat aliunde doctrinam dogmaticam enuntiari in oratione, seu ritu exprimi. Sic, ut ex multis pauca exempla seligamus : Doxologia *Gloria Patri*, etc., contra Arianos instituta, exorcismi in collatione baptismi adhiberi soliti, orationes ubique terrarum a catholicis Deo oblatae pro defunctis, preces ubique etiam factæ ad consequendum dona supernaturalia gratiæ, sunt argumenta certa fidei catholicæ de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, de peccato originali, de purgatorio et de gratia Redemptoris. In eo sensu verissimum est effatum veterum Patrum : *Lex orandi statuit legem credendi*. At dici non potest generatim preces ac ritus liturgiæ esse veluti totidem symbola fidei, ac si cuncta quæ in precibus, seu ritibus continentur essent fide catholica credenda. Ne de lectionibus historicis circa vitam et miracula Sanctorum dicamus, quas nemo præsumperit ad fidem pertinere, textus Scripturarum sæpe usurpantur juxta sensum accommodatum, et idecirco non adhi-

bentur tanquam formulæ fidei catholicæ; ipsæ orationes expriment motus pietatis quo afficimur, potius quam fidem tenendam, et illas non solent theologi ad sensum litteralem strictius interpretari, sicut symbola fidei. Quod ad festa attinet, Ecclesia festivitates celebrare consuevit in memoriam quorundam factorum, quæ non sunt fide catholica necessario credenda, tametsi gravi fundamento innitantur.

Præsentatio B. Mariæ in templo, illius assumptio corporalis in celum, non adhuc recensentur inter dogmata fidei; olim celebrabatur festum Immaculatae Conceptionis ipso tempore quo doctoribus catholicis licitum erat aliter opinari de privilegio Conceptionis Virginis Immaculatae.

Quod si vero in ipsa liturgia universali cunctæ partes, orationes et cæremoniæ non necessario expriment fidem catholicam, a fortiori sufficiet liturgiæ particulari alicujus provinciæ, seu diocesis, ut gravi fundamento innitatur, scilicet auctoritate Episcopi approbantis preces et cæremonias. Non major certe auctoritas requiritur ad ordinationem officii, quam ad tradendum doctrinam catholicam in catechesi et in mandatis pastoralibus. Episcopus, cum possit edere catechismum et instructiones dogmaticas, cur utique non posset, pari jure, inserere hymnos, antiphonas, seu orationes in officiis publicis suæ diocesis?

2<sup>o</sup> Nec etiam obstat unitati cultus catholici alicujus rituum varietas. Unitas esse debet in essentialibus, in iis scilicet quæ sunt juris divini, et in iis etiam quæ summa auctoritas concilii generalis, aut Sedis Apostolicæ, universali Ecclesiæ servanda proposuit. Magnopere insuper convenit ut certa custodiantur uniformitas, præsertim inter Ecclesias ejusdem Patriarchatus, uniformitas, inquam, idiomatis quo singulæ in suis officiis utantur, uniformitas materiæ, uniformitas demum formæ generalis, quæ obtinetur si eodem ordine distribuuntur partes officii; at unitas omnimoda et litteralis quæ quamlibet diversitatem excludat, in divisione psalterii, in formulis orationum, in de-

lectu lectionum, non est jure divino necessaria ad communionem catholicam.

« Ecclesiam Christi sponsam, ait Card. Bona, varietatibus  
 « circumamictam regius psaltes describit... quid autem vestes,  
 « quid flores multicolores sunt, nisi varietas sacrorum rituum,  
 « quibus ecclesiastici viri Deo laudes persolvunt? Alias enim  
 « consuetudines Ecclesia Romana habet, alias habet Ecclesia  
 « Mediolanensis; aliis cæremoniis utuntur monachi, aliis cle-  
 « rici, suntque diversæ diversarum Ecclesiarum in recitandis  
 « officiis institutiones. Unam quidem Ecclesiam universalem  
 « confitemur; at unius corporis plura membra diversa obire  
 « munia in unum finem tendentia quis nescit? Aut quis adeo  
 « stupidæ mentis est, quem non diversitas oblectet? Accedit  
 « ad delectamentum omne ferens punctum utilitas. Nam, ut  
 « gentium ac nationum mores diversi sunt, ita ad actus reli-  
 « gionis cultumque divinum diversis utuntur institutis, quæ,  
 « salva fidei christianæ integritate, vix possent ab eis vel omitti,  
 « vel auferri<sup>4</sup>. » (*De variis Ritibus divinæ psalmodiæ*,  
 cap. XVIII, § 1, 10.) Nec putes hæc esse quorundam solummodo  
 scriptorum ingenio propria; ubique enim in scriptis veterum  
 similia reperies, et ab ipsa Sancta Sede probantur, unde Gre-  
 gorius IX Græcis dicebat: « Scit Romana Ecclesia, quia nihil  
 « obsunt saluti credentium diversæ pro locorum et temporum  
 « consuetudines, quando una fides, per dilectionem operans  
 « bona quæ potest, uni Deo commendat omnes. »

Igitur, si ad solum jus divinum attenderimus, nihil obstat,  
 nec a parte auctoritatis, nec a parte unitatis servandæ, quo-  
 minus Episcopi valeant, salva obedientia decretis Sanctæ Sedis  
 præstanda, ordinare pro suis diocesis ritus sacræ liturgiæ,  
 in iis quæ jure communi nec præscripta nec vetita sunt. Nihilomi-  
 nus tamen fatendum est latere periculum sub hujus juris

<sup>4</sup> Cf. *Rerum liturgicarum* lib. I, cap. VI et VII. — Azevedo, *Exercitationes liturgicæ*, cap. X. — Editor theologiæ moralis P. Antoine, *de Sacris Ritibus*, cap. VII.

liturgici exercitio, si non restringatur, et exoptandam ad  
 mentem Ecclesiæ majorem uniformitatem: « Alias solent hu-  
 « manæ res erroribus obnoxia depravari plerumque et in dete-  
 « rius labi, ait Card. Bona; tanta paulatim licentia olim ir-  
 « repperat, ut singuli Episcopi inscio Romano Pontifice privatos  
 « ritus sibi assumerent, non sine magna divini cultus pertur-  
 « batione. Hanc nimiam orandi varietatem gravissime ferens  
 « Sanctissimus Pontifex Pius V Romanum Breviarium, magno  
 « studio emendatum, pristino nitori restitutum divulgari jussit,  
 « eoque sic correcto omnes Ecclesias uti præcepit. » (Loco  
 citato.) Ut vero ad quæstionem propositam redeamus, exponen-  
 dum habemus quid jure pontificio Episcopis præscriptum sit.

555. — II. Jure canonico, Constitutionibus pontificiis in-  
 ducto, ad triplicem classem referuntur Episcopi, in eo quod ad  
 præsentem materiam attinet: sunt nempe Episcopi Ecclesiarum  
 orientalium, sunt Episcopi Ecclesiarum occidentalium quibus  
 constitutio Pii concessit facultatem servandi Breviaria quibus a  
 ducentis annis utebantur, sunt denique cæteri Episcopi quibus  
 indictum fuit uti Breviario Romano.

1<sup>o</sup> Episcopi addicti ritibus Ecclesiarum orientalium, Græci,  
 Armeniani, Maronitæ, Græci-Melchitæ, Slavones, prohiben-  
 tur ullam immutationem facere in suis liturgiis respectivis.  
 Benedictus XIV multas ea de re habet Constitutiones quæ du-  
 bium omne submovent. In bulla *Demandatam* (anno 1745)  
 sic habet: « De ritibus et moribus Ecclesiæ Græcæ, illud gene-  
 « ratim statuendum decrevimus nemini licuisse aut licere,  
 « quovis titulo aut colore, et quacumque auctoritate aut digni-  
 « tate, etiam patriarchali, quidquam innovare, aut aliquid  
 « introducere, quod integram exactamque eorum observatio-  
 « nem imminuat. » Eadem pro Slavonibus decrevit Const. *Ex*  
*Pastorali*, anno 1754, et pro aliis Ecclesiis orientalibus in Const.  
*Etsi pastoratis*, anno 1742. Quo autem certius et efficacius  
 regula obtineret, curam dedit speciali Congregationi invigilandi  
 super editionibus quæ fiunt librorum liturgicorum Ecclesiarum

orientalium. « Nullum de rebus sacris librum aut folium publici juris faciant (Patriarchæ et Episcopi), inconsulta Sede Apostolica. Quod si novas librorum sacrorum ab eadem Sancta Sede approbatorum editiones fieri contingat, onus erit Patriarchæ et Episcoporum catholicorum, inspicere ne ulla in re discordent ab editionibus approbatis. » § 21, Const. *Demandatam*.

2º Episcopi Ecclesiarum Occidentis qui liturgiam legitimam habent distinctam a liturgia Romana, et cæteri Episcopi ac prælati regularium qui habent jus servandi suos libros excepto constitutionibus Pii V, possunt emendare suum Missale et Breviarium, quædam accidentalia immutare, nova inducere, sed quæ non sint substantialia, adeo ut officia semper eadem censeantur.

Cum Pius V nihil statuerit de Ecclesiis quæ habebant a ducentis annis liturgiam particularem, jus idem remansit illis quod erat antea: porro ante Pium V, habebant certe facultatem corrigendi, ac novis precibus ditandi suos libros liturgicos... Insuper concilia provincialia quæ habita sunt in Galliis post promulgationem bullarum sancti Pii V, et quæ non acceptaverunt pure ac simpliciter libros liturgicos auctoritate hujus Pontificis correctos, præscripserunt Episcopis ut singuli, in suis respective diocesis, Missale et Breviarium attenta cura reviserent, et corrigerent quæ essent emendanda, sibi proponendo normam Missalis et Breviarii Romani. Nullus præsumpsit mentem S. Pii V fuisse ut Ecclesiæ, quæ privilegio donabantur servandi suum officium, addicerentur ad immobilitatem quæ omnem emendationem atque ameliorationem excluderet. Hinc videmus S. Carolum, manus illico admovisse ad revisionem et emendationem liturgiæ Ecclesiæ Mediolanensis.

Diximus... quæ non sint substantialia .. quia 1º S. Pius V graviter conquestus est de libertate, quam sibi plures arroga-  
verant immutandi pro arbitrio libros liturgicos, unde maxima provenerat confusio: quis autem dixerit Pontificem voluisse

Episcopis competere legitimam potestatem immutationes faciendi, quas maxime nocivas et confusionem inducentes arguit? 2º Pius V vult ut Ecclesiæ possint retinere jus utendi suis libris, ac suum proprium officium recitandi; jam vero si tantas fecerint mutationes, ut libri non amplius censeantur iidem, aliaque nova officia veteribus substituantur, exceptio locum habere non potest; deest simul objectum et motivum... Hæc consideratio eo magis ponderari debet, quod, ex praxi Sanctæ Sedis erga liturgias orientales et occidentales, manifeste appareat Ecclesiam Romanam multum attendere ad antiquitatem rituum, ut serventur vetera, quæ scilicet accepta sunt a Patribus, et nova resecentur, nisi certa ratione fuerint approbata.

Igitur Episcopis, de quibus agimus, remansit quidem jus liturgicum, sed intra limites immutationum mere accidentalium restrictum. — Cæterum iidem Episcopi, retentis suis libris, debuerunt obtemperare decretis universalibus Sanctæ Sedis, quando nova festa præscriberentur in honorem Sanctorum recens canonizatorum, vel ad alium finem.

S. Congregatio censuit Episcopos qui tot induxerunt additiones et variationes in suæ Ecclesiæ libros, ut Breviarium et Missale quibus hodie utuntur substantialiter diversa videantur a primævis Breviario et Missali, non posse retinere, vi Bullæ Pii V, libros quos actu habent<sup>1</sup>. Regulam tradidit et enuntiavit Gregorius XVI in Brevi ad Archiep. Remensem, anno 1842: « Pium V « eos tantum ab obligatione Breviarii et Missalis Romani recipiendorum exemptos voluisse qui a bis centum annis saltem « uti consueverant Breviario et Missali ab illis diverso, ita vide-

<sup>1</sup> S. Sedes non concedit ut Episcopi, de quibus agimus, reassumant veteres, libros liturgicos quos olim, inductis reformationibus, dimiserunt, quia ex-cidisse censentur a privilegio quod Pius V concesserat. Card. Patrizi, Epistolis datis 28 aug. 1856 ad Card. Archiep. Bisontinum, testatur nulli Episcoporum Galliæ, qui recentiori ætate suas dioceses ad unitatem liturgiæ Romanæ adduxerunt, indultum fuisse ut ad veteres libros liturgicos, quos sui prædecessores proprio arbitrio dimiserant, regrederentur, quod et denegatum fuit ipsi Card. Bisontino ne « generali dispositioni juris in gratiam præsulis derogaretur. »

« licet ut ipsi non quidem commutare iterum atque iterum  
« arbitrio suo libros hujusmodi, sed quibus utebantur, si vel-  
lent, retinere possent. »

3<sup>o</sup> Episcopi qui tenentur uti Breviario et Missali Romanis, nullam possunt, ne in minimis quidem, immutationem facere in libris auctoritate Sanctæ Sedis correctis. Nec consequenter nova officia addere, nec officia constabilia in ritum superiorem mutare, nec ullam partem in hymnis, antiphonis, seu lectionibus, emendare suo arbitrio possunt; sed si quid in *proprio* suæ respective diœcesis corrigendum videatur, res deferenda est ad Sacram Rituum Congregationem. Constitutione *Quod a nobis*, statuitur « Breviarium nullo unquam tempore, « vel totum, vel ex parte mutandum, vel aliquid ei addendum, « vel omnino detrahendum esse : ac quoscumque qui horas « canonicas ex more et ritu ipsius Romanæ ecclesiæ, jure vel « consuetudine dicere vel psallere debent, propositis pœnis « per canonicas sanctiones constitutis in eos qui divinum offi- « cium non dixerint, ad dicendum et psallendum posthac in « perpetuum horas ipsas diurnas et nocturnas ex hujus Rom. « Breviarii præscripto et ratione omnino teneri. »

556. — III. Conclusio generalis ex narratis historiæ, et ex principiis hucusque constitutis, hæc sit : ad S. Pontificem et concilium œcumenicum pertinere plenam summamque jurisdictionem, statuendi de forma divini officii et de cæteris partibus sacræ liturgiæ, in Ecclesiam universalem et in singulas Ecclesias particulares. Id simul convicit, tum divina Ecclesiæ catholicæ constitutio, tum traditio constantissima conciliorum et Sanctæ Apostolicæ Sedis, adeo ut necessarium nullatenus arbitremur in re tam aperta diutius immorari.

SS. Pontifices exercitium suæ jurisdictionis in re liturgica partim commiserunt S. Rituum Congregationi, de qua in prima parte *Prælectionum* diximus (n<sup>o</sup> 110). Vi Constitutionis *Immensa* Sixti V, S. Congregatio jus habet interpretandi decreta de cultu divino, reformandi abusus qui irrepererint

contra regulas constitutas, instaurandi cæremonias superstitionibus depravatas, libros liturgicos, si opus sit, emendandi; nec necesse est illius decisiones aut decreta approbatione speciali Romani Pontificis sanciri, cum super his omnibus potiatur jurisdictione ordinaria.

Hinc decreta generalia quæ promulgavit Congregatio vim habent ubivis locorum in omnes Ecclesias quæ tenentur divina officia peragere more ac ritu Romanæ Ecclesiæ. Declarationes etiam quæ dantur Ecclesiæ particulari, seu individuis, in casu determinato, pro regula agendorum suscipiendæ sunt, si in nitantur motivis generalibus, et eo solummodo tendant ut jus commune interpretentur atque in casum propositum applicent.

Stando Constitutioni Sixtinæ, S. Congregatio Rituum decreta apostolica de re liturgica interpretatur, illorum observationi invigilat, atque abusus reformat; non habet autem potestatem legislativam proprie dictam ad instituendum novas regulas, vel ad decreta olim indicta a SS. Pontificibus immutandum; quamobrem, si quid hujusmodi fieri debeat, Congregatio ad Pontificem recurrit, facta negotii relatione, ut illius auctoritate sanciat quod edicere opportunum censuerit.

Cum instituta sit eadem Congregatio, ut observantiæ rituum provideat, sequitur illius decreta, seu declarationes, non attingere Ecclesias particulares, quæ non tenentur more ac ritu Romanæ Ecclesiæ officia divina peragere. Aliæ Congregationes præpositæ sunt ritibus Ecclesiarum Orientalium; quoad vero Ecclesias Latinas quæ suos privatos ritus a S. Sede approbatos retinuerunt, v. g. Ecclesia Mediolanensis, non tenentur decretis S. Congregationis in iis quæ iisdem ritibus contraria sunt, nisi S. Pontifex privilegiis ante concessis, pro sua sapientia, derogandum duxerit<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Id concludimus ex regula generali data a Bonifacio VIII in capite juris, *Licet Romanus Pontifex*, de quo alibi diximus (n<sup>o</sup> 19). Cf. *Etudes de théologie publiées par les PP. de la Compagnie de Jésus*, an. 1860, pag. 615 et suiv.; — an. 1861, pag. 169 et suiv.

557. — Hinc concludere est regulas generales juris communis juxta quas consuetudo legitime præscripta valet jus novum inducere, aut juri veteri derogare, rarissimam habere applicationem in præsentī materia liturgica (nº 19). Quidquid in Ecclesiis particularibus inducitur contra decreta Rubricarum Missalis et Breviarii, Pontificalis, libri Cæremonialis Episcoporum et Ritualis Romani, reputatur abusus a S. Congregatione Rituum.

Convenienter cum suis ea de re principiis, eadem Congregatio respondit, 10 januarii 1852, legitimam non esse vi præscriptionis, seu consuetudinis etiam sæcularis, liturgiam alicujus Ecclesiæ quæ ab anno 1748 novum Missale, et Breviarium adoptaverat, inconsulta Sede Apostolica, amotis prius veteribus libris ad formam Romanam correctis. Casum propositum ita solvendo, S. Congregatio significavit consuetudinem, quamvis diuturno tempore obfirmatam, non posse prævalere contra præscriptiones rituales Ecclesiæ Romanæ: deficere unam e conditionibus præcipuis, consensum nempe superioris.

SCHOLIUM DE LIBRIS LITURGICIS GALLIÆ DECURSU SÆCULI XVIII  
CONFECTIS.

558. — Concilia provincialia in Galliis celebrata post editas constitutiones S. Pii V, varia decreta ediderunt de libris liturgicis. Nonnulla, præsertim Aquense, Narbonense, et Burdigalense, ad fovendum perfectius unitatem, omnibus ecclesiasticis præceperunt ac mandaverunt officium recitare juxta ritum, modum et formam a Pio V præscripta in Constitutione de reformatione Breviarii edita; « quam nos recipimus, dixerunt « Patres conc. Narbonensis, et in tota provincia recipi volumus, « et præsentī nostri decreti publicatione sufficienter promulgata tam declaramus. » « Visum est id magis decere, ait conc. « Aquense, quam quod unaquæque diocesis proprium officium

« retineret, præsertim cum Missalia, Breviaria, Diurnalia, et « alii hujusmodi libri, ad uniuscujusque diocesis hujus provincie usum, omnes pene laceri, imo et omnino consumpti « sint, et vix reperiantur, nec de novo imprimi possint absque « magna impensa<sup>1</sup>. » Alia concilia Episcopis demandaverunt ut diligenter inspicerent et examinarent suarum dioceseon Breviaria, Missalia, atque alios libros ecclesiasticos ac cæremoniales, ne quid continerent adversum doctrinæ catholicæ, aut veris historiis sanctorum, aut quod ad ædificationem disciplinæ ecclesiasticæ et pietatem non pertineret, et librorum emendatorum, quoad fieri poterat, usu servato dioceseon, « juxta « tamen constitutiones S. Pii V super Breviario et Missali, » procurarent impressionem. Ita præ cæteris concilium Rothomagense, et Remense quod hæc monita superaddit: « Ubi « indigesta, minusque pietati consona Breviaria vel Missalia « repperint, curent quamprimum fieri poterit, ad usum Ecclesiæ Romanæ, juxta constitutionem Pii V, reformari, et in « lucem emitti, impensis diocesis<sup>2</sup>. »

Mens igitur Patrum qui decreta ediderunt fuit, ut vel reciperentur libri jussu S. Pii V correcti, cæteris quibuslibet amotis, vel retinerentur quidem libri proprii singularum dioceseon, sed emendati ad normam Breviarii et Missalis Romani, juxta constitutionem ejusdem Pontificis. Utinam hæc sapientissima regula studiosius observata fuisset! In prioribus quidem tentaminibus reformationis Breviariorum et Missalium, ad præscriptum conciliorum cuncta ordinabantur; postea vero scriptores, quibus id laboris commissum fuerat, nimio innovandi zelo abrepti, quidam etiam male affecti in Ecclesiam Romanam, et pravam æmulationem sub falsa specie zeli pro reformatione liturgiæ ad severioris critices normam dissimulantes, multa e veteribus ritibus ac precibus detraxerunt, multa insuper nova

<sup>1</sup> Labbe, *Coll. Conciliorum*, tom. XV, col. 947, 1154 et 1616.

<sup>2</sup> Labbe, *loc. cit.*, col. 824, 888.

inducere conati sunt, adeo ut tandem libri, quibus edendis operas navabant, a veteribus valde diversi evaserint.

Agnoscendum tamen Episcopos, qui nova Breviaria et Missalia suis respective diœcesibus dederunt, persuasum habuisse, se in ista librorum liturgicorum editione, non excedere limites sui juris; nihil insuper in plerisque eorundem librorum insertum fuisse quod fidem catholicam, seu christianam pietatem, offenderet<sup>1</sup>.

Indoles plurimorum Antistitum, et mandata pastoralia queis nova Breviaria proposuerunt clero, sunt argumenta indubia illorum bonæ fidei. Illos probabiliter in sua sententia non parum firmavit silentium scriptorum catholicorum, qui nullam controversiam moverunt de jure quod sibi arrogabant Episcopi, et silentium ipsius Sedis Apostolicæ, quod falso tamen interpretati sunt, ut eventus rerum ostendit.

In Galliis nonnullæ animadversiones prodierunt contra Breviarium Parisiense, cujus textus videbatur, in quibusdam officiis, minus consentaneus integritati doctrinæ; at in dubium revocatum non est jus condendi Breviarium a veteri diversum. Inter extraneos etiam, quos certe non latebat novorum librorum liturgicorum editio, nullos scriptores novimus, si unum aut alterum excipias, qui per transennam tantummodo ea de re locuti sunt, qui arguerint Episcopos usurpati juris; adeo ut P. Zacharia qui cunctos libros liturgicos Galliarum recens editos per ordinem refert in sua *Bibliotheca rituali*, nullam, illorum occasione, de jure liturgico movet quæstionem.

Ipsi SS. Pontifices qui pro officio invigilant sacro deposito traditionum, condemnaverunt, tunc temporis, Rituale Aletense quod infectum repertum est pravis opinionibus Jansenistarum; quibusdam Episcopis, ritui Romano addictis, exprobraverunt quod non inseruerint in suis breviariis officium sancti Gre-

<sup>1</sup> Cf. librum Card. d'Astros hoc titulo inscriptum: *L'Église de France injustement flétrie, dans un ouvrage qui a pour titre: Institutions liturgiques.*

gorii VII; nunquam vero condemnasse videntur nova Breviaria. Benedictus XIV eo adductus serie quæstionum ut de iis ageret, in suo libro *de Beatificatione sanctorum*, audaciæ titulo notat Grancolas et Pontas qui, adversus claram litteram Constitutionis S. Pii, asserunt mentem Pontificis nullatenus fuisse ut Breviarium Romanum a se correctum ubique susciperetur, exceptis casibus in eadem constitutione prævisis, et Episcopis consilium præbent ac modum simul suggerunt nova Breviaria edendi; sed ubi ad alios casus advenit, ita loquitur: « Non desunt  
« qui usum particularem Breviariorum, et jus illum statuendi pro suis Ecclesiis adjudicant illis Episcopis in quorum diœcesibus Bullæ RR. Pontificum Breviarium correctum præfinientes, scientibus et tolerantibus ipsis RR. Pontificibus, receptæ non sunt, suaque executione carent. Porro, an hæc sufficiant, aliorum judicium sit. Quod autem videtur  
« asseri posse, est tutius esse ut etiam Episcopi qui putant se post Bullam Pii V posse aliquid addere vel immutare in Breviario, aut novum Breviarium edere, prævium judicium Sedis Apostolicæ requirant, cum, experientia teste, in nonnulla Breviaria ab ipsis edita, errores aliquando irrepserint sanæ doctrinæ adversantes, non ipsorum fortasse sed aliorum culpa,  
« ita ut opus fuerit vel edita Breviaria prohibere, vel eorum correctionem demandare. » (Lib. IV, part. II, cap. XIII, n<sup>o</sup> 6, 7.)

Præsules Gallicani non ignorabant constitutiones Pii V; nihilominus tamen arbitrabantur se nihil acturos contra obedientiam Sanctæ Sedi debitam, nova Breviaria edendo, quia cum non omnibus indiscriminatim Episcopis interdixerit aliquid immutare in libris liturgicis, sed iis solummodo qui jure vel consuetudine tenebantur uti ritu Romanæ Ecclesiæ, cæteris tacite concessum communiter putabatur suos libros emendare, sensu supra exposito. Episcopis autem non videbatur emendationes factas excedere limites juris, nec suæ Ecclesiæ liturgiam immutari, nec tandem, nisi in accidentalibus, eam diversam fore a liturgia

Romana. Non est quidem facile determinare quousque progredi liceat in hac materia, ut discernantur mutationes accidentales, quas cuncti generatim fieri posse existimant <sup>1</sup>, a mutationibus substantialibus. Distributio Psalterii per hebdomadam, ut regulariter integrum recitetur singulis hebdomadis, compositio nova Antiphonarum et Responsalium ex verbis Scripturæ, quam nonnulli veteres exoptaverant, et concilium Coloniense, habitum an. 1536, innuerat <sup>2</sup>, ordinatio festorum talis quæ sæpius locum cedat officio dominicali et feriali, correctio hymnorum ad normam purioris latinitatis, et lectionum de vita sanctorum, ad severiores regulas critices historicæ... hæc cuncta, in quibus consistebat reformatio Breviariorum, non reputabantur, tunc temporis, substantiam ipsam liturgiæ Romanæ afficere; et minus certe recedebant a traditionibus, quam tentamina quæ olim facta erant Romæ, sub pontificatu Leonis X, Clementis VII, et Pauli III, quando actum fuit de reformatione librorum liturgicorum.

Episcopi, qui, a tempore concordati, ad sedes noviter erectas promoti sunt, eadem bona fide existimaverunt posse usum librorum, qui in veteri statu rerum adhibebantur, tuta conscientia retinere: nec Cardinalis Legatus Sanctæ Sedis, nec Pius Sepimus qui testis ipse fuit instauratæ hujus liturgiæ in plerisque diœcesibus, Antistites admonuit, ut pro temporum opportunitate, suos libros desererent, et romanis deinceps uterentur. Quin etiam S. Congregatio Rituum haud semel decisiones dedit ex quibus multi inferebant hanc disciplinam nequaquam improbari. Sic, ut unam præ cæteris responsionem afferamus: anno 1841, die 22 maii, precibus sacerdotis P. Noseley Parochi civitatis Bar-sur-Aube diœcesis Trecensis, quibus expetebat sequentium dubiorum quoad usum Breviarii Romani, quod recitabat ab anno 1825, nimirum: « 1° an, non obstante prohibitione Episcopi, « possit tuta conscientia perseverare in recitando Breviario

<sup>1</sup> *Institutions liturgiques*, tom. II, chap. xvi, pag. 77, 78.

<sup>2</sup> Labbe, *Collectio Conciliorum*, tom. XIV, col. 504.

« Romano, sicque oneri divini officii facere satis? 2° An idem « onus impleat, recitans officia pro aliquibus locis, in calce ipsius « Breviarii Romani apposita? 3° An in administrandis Ecclesiæ « sacramentis Rituali Romano uti queat?...» Cardinalis Pedicini S. Congregationi Rituum præfectus, vigore facultatum sibi specialiter tributarum a Gregorio XVI, rescribi mandavit: ad I, *Sine speciali indulto, non posse*. Ad II, *negative*. Ad III, *in casu, affirmative*. (Col. Gardelliana, tom. VIII, pag. 571.)

Hæc certe sufficiunt ut repellamus a clero, et præsertim ab Episcopis Galliarum, injuriam malæ fidei et contemptus auctoritatis Sedis Apostolicæ; non probant tamen reformationem liturgiæ quam sæculo proxime elapso inierunt legitime peractam fuisse. Recessum fuit in librorum liturgicorum immutatione a regulis canonicis et a mente S. Pii V; quapropter S. Sedes hanc immutationem non approbavit, quamvis duxerit ad tempus tolerandam.

Cum igitur, postremis temporibus, præsules nostri audierunt suas Ecclesias excidisse, ob multiplices variationes in suos libros liturgicos inductas, a privilegio suis prædecessoribus per constitutiones S. Pii V quæsito, et summi Pontificis votum ardentissimum esse quod suas diœceses ad unitatem liturgiæ Romanæ quamprimum adducerent, promptum filialis suæ reverentiæ obsequium præstiterunt. Ecclesiam Romanam venerati, tanquam omnium liturgiarum moderatricem et normam, nihil sanctius habuerunt, quam ut ea quæ a SS. Nostro Papa Pio IX exoptata erant, satagerent perficere, relinquentes fidelibus, suis in episcopatu futuris successoribus, aliisque Ecclesiarum Antistitibus, memorabile exemplum obedientiæ erga Sanctam Apostolicam Sedem.